



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 2. Hypocritas meritò puniri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

& non etiam aliquam multi Ecclesiasticorum, qui inani fidei professione gregem Dominicum agnoscunt, quem vitæ libertate vitisq; infamant. Non accuso hinc eos, qui non sunt tales, ne sibi arripiant irascendo, quod reis dicitur, ut à se amoveant dolendo. Sunt certè qui cum Antipatro foris *albo pallio* vtuntur, ut emergant, ut gratiam Principum venentur, intus *toti sunt purpurei*, & conspersi sanguine innocentum. Quade causa eos meritò Christus in hunc modum alloquitur: *Va vobis Scribae & Pharisei* Matth. 23.
hypocrita: quia similes estis sepulchris dealbatis, 27.
quae à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti: intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate, iram Dei in vos, & alios vobiscum prouocantes, multorum causa malorum.

§. II.

Hypocritas meritò puniri.

An non talibus exuuiæ Herculis detrahendæ? an non exuendum pallium album? An non in apricum proferendi, & de ipsa laudis ambitione in ruborem dandi sunt? Et facit hoc scrutator cordium Deus, ut uti-
 tis lateant, & plus noceant. Nat. Ari-
 stotele

Aristoti
 lib. 9.
 Ethic

storele teste, qui fingit se amicum, & non est
 peior est eo, qui facit falsam moneram. Percutit
 ergo meretur, ut, si corrigi non vult, saltem
 innotescat, atque ipsa plaga adactus se sepa-
 ret à bonis. Ut enim motu & calore, ea quae
 diuersae naturae sunt, verum confusa, se-
 iunguntur; ut butyrum à lacte agitatio se-
 cernit; ut paleas à tritico diuidit turbo, aut
 ventilabrum; ut metalla omnia calor ab
 alijs disiungit; ita concussio & ignis tribu-
 lationis diuersos animos commouet, laten-
 tium cogitationum discrimina detegit; &
 suo quemque ordini remittit. *Nemo potest
 personam fictam diu ferre, ficta in naturam suam
 cito recidunt.* Sed tum maximè, cum rabi-
 guntur, mouentur, vruntur. *Tuto serpens pe-
 stifer tractatur, dum rigeat frigore, non desinit
 tamen illi venena, sed torpent.* Ignem illi ad-
 hibe, & serpentem experieris. Tales ut de-
 tegat Deus, vrit, & in fornace tentationis
 probat, ac turbine persecutionis de area sua
 euentilat. Fulgent ut aurum; si lapidem ad-
 moueas Lydium, aut prunas, mox scoriae
 suam loquuntur. forma videtur, sed fucus
 est, quem diluens tempestas lutum facit. Re-
 dent, quàm diu fauor fortunae adest; in tran-
 quillo petrae, in turbido spongiae. *Frontinus
 nulla*

Iuuen.
 Sat. 2.

nulla fides. Is, qui Cato videbatur, eum sol
fulgeret, totus contrahit se se, quam pri-
mum caelum nubibus obducitur; vt dicere
pollis;

Ubi vultus ille, & victa maiestas viri: Senec. in

Atque habitus horrens, prisca & antiqua Hippol.

appetens,

Morumq; senium tristo, & adſpectu graue?

O vita fallax! abditos ſenſus geris,

Animisq; pulchram turbidis faciem induis,

Pudor impudentem celat, audacem quies,

Pietas nefandum, vera fallaces probant,

Simulantq; molles dura.

Sed tam diu ſimulant, quam diu prodeſt ſi-
ctio. Alio tempore, vel apud alios ſunt alij.

S. Baſilium audi: Non ſilebo polypi dolos ac fu- S. Baſil.

racitatem. Is cuiumque ſaxo aſiſerit, illius hom. 7. in

colorem ſubit, atque adeo, vt piſcium complures Hexam.

ad ipſum de improviſo nantes, tamquam ad ſa-

xum appellant, paratamq; ſe pradam illi offe-

rant. Tale ſunt hypocrita, qui ſobrietatem cum

ſobrijs laudant: intemperantes ſunt cum intem-

perantibus, atque ad id, quod cuiq; placet, ſuam

omnino ſententiam vertunt. Quos evitare facile

nemo poteſt, propterea quod pietatis pretextu

pranitas eorum fucata & adornata profunde

latet. Hos ergo extrahit Deus, & deſpicien-

dos proponit; vt, vbi laudem fauoremque
 quærunt, ibi despectum & ignominiam re-
 Iob. 8. 13. periant. *Spes hypocryta peribit. Non ei place-
 bit vecordia sua, & sicut tela araneorum fiducia*
 Iob. 36. 13. *eius: quia, vt in eodem Iob legimus, Simu-
 latores & callidi pronocant iram Dei, neq; cla-*
 Ierem. 9. *mabunt, cum vincti fuerint. Et apud Ieremi-*
 8. *am: Pacem cum amico suo loquitur, & occulto*
ei ponit insidias. Numquid super his non visita-
bo? dicit Dominus. Visitabo, ferro rimabor,
gladijs euiscerabo; flammis illustrabo, vt
detegatur malitia eorum. Eodem loco sa-
crificabat Cain & Abel; parentes vtriusque
pietas oblectabat: tentatio simulationem
Caini ad summa prouexit. Contemptâ di-
uinitus hostiâ suâ, fratri inuidet, innocuum
occidit: cædem à Deo ignorari existimat.
 Gen. 4. 9. *Hypocrita erat, fratrem oderat, Deum om-*
niscium negabat: Nescio, inquit, Num cussus
fratris mei ego sum? Idcirco Deus illum eici-
cit à facie sua, vt esset vagus, & tremens in
terra, nec, datâ etiam securitate vitæ, pudore
atq; anxietate leuaretur. Ad eundem
modum aliorum etiam hypocritarum cau-
sâ clades fiunt, vt puniantur, & detegantur,
atq; à veris Christianis separentur, quos fal-
lacijs suis seducere voluerunt. Et erunt, in-
 qui

quit Isaias, qui beatificant populum istum, se- Isa. 9. 16
ducentes: & qui beatificantur, precipitati. Pro-
pter hoc super adolescentulis eius non latabitur
Dominus: & pupillorum eius, & viduarum,
non miserebitur: quia omnis hypocrita est, &
nequam, & uniuersum os locutum est stulti-
tiam.

§. VI.

*Nostro quoque seculo esse Hypocritas, qui puni-
ri, ac dedecore affici mereantur.*

Ante annos plus centum, vna religio
Catholica totâ ferè Europâ celebrabatur;
eam vix hæresis vlla infestabat; plena erant
templa, monasteriaque, & consensu simul
habitabant. Vbi autem libertatem carnis,
& noua dogmata tonsus Apostata vulgavit,
excisi sunt rami, folia leuia variarum do-
ctrinarum ventis rapta sunt, quia tenui vi-
culo tenebantur, pedunculos pruina suo
frigore adusserat, matura erant naufragio
Fidei pectora, refrigeratâ charitate. Sæcu-
lares sibi videbantur legibus soluti, quia eas
calcabant; licentiam amplexabantur, quia
se numquam perituros stolidâ confidentiâ
imaginabantur. Clerici plurimi, & religiosi
tamquam ad Berecynthiæ tibiam, abiectâ
pietate, violatis votis, magnis agminibus,